

non emolliens: sit vigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate saeviens: sit pietas, sed non plus quam expediat, parcens: ut dum se in arce regiminis justitia clementiaque permiscet, is qui praeest, corda subditorum terrendo demulceat, et tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.

CAP. VII. UT SIT RECTOR INTERNORUM CURAM IN EXTERIORUM OCCUPATIONE NON MINUENS, EXTERIORUM PROVIDENTIAM IN INTERNORUM SOLLICITUDINE NON RELINQUENS.

Sit Rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens: ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quae foris debet proximis non impendat. Saepe namque nonnulli velut obliti quod fratribus animarum causa praelati sunt, toto cordis adnisi secularibus curis inserviunt: has, cum adsunt, se agere exultant; ad has etiam cum desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidae aestibus anhelant. Cumque ab his, cessante forsitan opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque censent si actionibus deprimuntur, laborem deputant si in terrenis negotiis non laborant. Sicque fit, ut dum se urgeri mundanis tumultibus gaudent, interna quae alios docere debuerant ignorent. Unde subjectorum quoque proculdubio vita torpescit: quia cum proficere spiritaliter appetit, in exemplo ejus qui sibi praelatus est, quasi in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite membra incassum vident, et in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat, eorumque culpas increpatio nulla castigat: quia dum per animarum praesulem terreni exercetur officium iudicis, a gregis custodia vacat cura Pastoris; et subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia dum Pastoris sensus terrena